



Ben einer Schlacht in Gefahr gerathen war,

Philosophi licet: Audacter profitebimur animi nostri sententiam. Omnes illorum disputationes una nobis videtur Livii historia, si quis & honesti amore sibi pectus imbui velit, & salubri quodam antidoto adversus vitiorum contagia muniri, sive auctoritatis pondere, sive utilitatis ubertate, superare. Quidquid apud illos præceptis adstruitur, hic firmatum videmus exemplis. Illi casam sæpe & vacuam fingunt animo virtutis imaginem: hic ipsa sese virtus præsentem sistit ob oculos, & vivam quodammodo aspirantem exhibet. Illorum suspecta interdum est otiosa loquacitas: hic nos frangit auctoritas ineluctabilis onustorum triumphis ducum, & maximi post hominum memoriam imperii conditorum. Denique illorum præceptiones non modo aridæ ac jejunæ nihil habent lenocinii, nihil voluptatis, sed etiam ipsa præcipiendi professione absterrent ac fugant indociles plerumque hominum animos: Livius & omni eloquentiæ cultu salutaria monita vestit & exornat, & ita præcipit ut prorsus lateat præcipiendi voluntas. Nullum in eo magisterii supercilium; nulla doctoris persona: fallitque disciplina virtutis ante insinuata mentibus, quam ipsi, qui discunt doceri sese intelligent.